

euidenter quod nos cum discreto viro Karolo Raghnildis filio concambium terrarum fecimus, accipiendo ab ipso partem suam de Hisingi, cum parte sua quam habuit in frøale que dicitur vnum bol. dantes eidem pro hoc, predium nostrum in Limandahult cum omnibus eidem predio iam pertinentibus, ita tamen quod idem Karolus viginti marchas den. addendas concambio nobis soluere teneatur, Jn cuius rei testimonium nos & dictus Karolus sigilla nostra huic cartule duximus apponenda, Actum in Noua walle anno domini M°, CC°, XC°, IX° in dominica qua historia deus omnium, inchoatur.

Sigillet, på en ur brefvet klippt remsa, mycket skadadt.

1278.

1299 d. 16 Juli.

Ringshult.

Lagmannen i Wärend NILS SIGRIDSSONS Testamentariska anordning om sin qvarlåtenskap.

A. 4.

JN nomine patris et filii & spiritus sancti amen. Ego NICOLAUS SIGREDÆSUN Legifer wärendie in infirmitate graui constitutus, sciensque morte nichil esse cercius et nichil incercius hora mortis. Ideoque mortalibus nichil esse utilius, quam diem extremum misericordie operibus preuenire. testamentum meum condo & de rebus meis ordino in hunc modum. Monasterio sanctimonialium in askaby apud quas eligo sepulturam iuxta dilectam quondam uxorem meam lego viginti marchas puri argenti. quarum ordinacionem exequitoribus testamenti mei committo, sine quibus aliquid de eisdem virginis marchis ordinandi seu faciendi, abbatissa uel aliquis de monasterio nullam habeat facultatem. Ecclesie lincopensi curiam meam lincopie situatam, Ecclesie in vexio ad fabricam ipsius curiam meam Býrsyas, cum omnibus bonis que in ipsa continentur ad presens, tali condicione quod bondones qui seruant decimas ecclesie dicte, habeant potestatem omnes redditus, ex ea annis singulis prouenientes, colligendi, seruandi, & pro utilitate eiusdem prout ipsis placuerit, dispensandi, Quantum autem possum inhibeo, ne aliquis episcopus, canonicus, uel prepositus dictos bondones impedit, quin libere ualeant, prefatos redditus, recipere, tractare, & pro ipsius ecclesie utilitatibus ordinare, alioquin si secus facere attemptauerint, extunc heredes mei habeant liberam facultatem memoratam curiam cum omnibus bonis ipsius ad se reuocandi, & sub suum dominium redigendi. Super quo eciam ipsis ante mortem meam litteras apertas contuli sigilli mei munimine roboratas, Ecclesie in nidaros tres marchas puri argenti si ante mortem meam beati Olai limina non potuero uisitare. Cuilibet claustro in dyocesi lincopensi vnam

marcham puri argenti, & cuilibet hospitali in eadem diocesi vnam marcham puri argenti, hac condicione adiecta, quod executores testamenti mei eas distrahant & uestes & calceos inde emant, & pauperibus infirmis in hospitalibus existentibus distribuant, prout eis nouerint expedire, Fratribus predicatoribus in sigtunia unam marcham puri argenti. Fratribus minoribus in stocholm unam marcham puri argenti, Ecclesie in garzby duas marchas puri argenti pro uno calice faciendo, & unam paruam crucem de auro, quam de terra sancta mecum detuli, pro eodem calice deaurando, Ecclesie thorpom tres marchas den., Item pro solucione crucis mee, deputo viginti marchas puri argenti in subsidium terre sancte, quas executores testamenti mei, quando & per quos, deus eis inspirauerit, illuc mittant, Item omnibus seruis meis et ancillis confero libertatem, Item quadraginta marchas den. confero pauperibus, per manus executorum testamenti mei inter eos prout ipsis visum fuerit diuidendas, Ceterum ut sciatur, vnde supradicta omnia persoluantur, notum facio quod michi tenetur soluere Nicholaus swenikosun vna hora argenti minus quam sexdecim marchas puri argenti. Gødica dictus Junge ciuis sudærcopeñsis sex marchas & vnam oram puri argenti, Thorkillus ærringislæsun dictus dyacn duodecim marchas puri argenti, Sigmundus ærringislæsun quatuor marchas puri argenti. Sweno ømundæsun undecim marchas & duas oras den. Dominus, th, knutsun domini regis marscalcus duas marchas ænone & duo talenta naualia lardi & totidem butiri, Monachi de noua ualle dimidiā marcham siliginis, & idcirco uolo ut per executores testamenti mei, primo omnia debita mea supradicta preter illam dimidiā marcham siliginis, quam michi tenentur monachi de noua ualle & quam ex nunc eis relaxo, exigantur & postea de ipsis testamentum meum quantum solui poterit, persoluatur, Item ne propter debita que ego aliis teneor anima mea periculum paciatur, similiter notum facio quod ego reddere teneor ecclesie lincopensi decem marchas den. Gødikino dicto Jungæ ciui sudærcopeñsi duabus oris minus quam sex marchas den. Hinzemann dicto pægogha sex marchas den., Gerardo dicto vlf ciui wisbycensi duas marchas & duas oras den. gutniskæ, Heredibus hermanni dicti curæ quondam sudærcope commorantis, de antiquo debito septem marchas den., si dicti heredes dictum debitum exegerint & recognoscere uoluerint, illud se iusto týtulo habituros, Item gøstauo karlsun vnum talentum nauale cupri pro octo marchis den. & aliud talentum cupri repositum est sudærcope aput nicolaum kniuæsimid, quod ibi recipiat quando placet, Item uolo quod dicti executores testamenti mei potestatem habeant plenariam, cum nicholao guduastæsun super septem lestis ænone uersus lybech delatis cōputandi, & precium pro eisdem receptum exigendi, recipiendi, & ad libitum ordinandi, Huius testamenti mei executores constituo, uenerabiles & discretos viros, Dominum epi-

scopum lincopensem dompnum wimundum prepositum lincopensem Dominum Johannem cnutsun Dominum hulmwidum elefsun & thorkillum ærringislæsun dictum dyacn. quorum eciam sigillis, cum sigillo domini mei regis, domini th, knutsun marscalki, domini suantapulc & meo, ipsum postulo roborari. Actum apud ringshult anno domini Millesimo, ducentecimo, Nonagesimo Nono Decimoseptimo Kalendas Augustj.

Sigillen N:o 1, 4, 5, 7, 8, bortfallna, N:o 2, 3, 6, 9 mer och mindre skadade.

1279.

1299 d. 20 Aug.

Kaniken CHRISTIANS i Lund testamentariska anordning om dess qvarlåtenskap.

B. 1: 233.

*Testamentum domini cristiarni canonici super una curia in parochia beati pauli pro anniuersario suo.*

In nomine sancte & indiuidue trinitatis patris & filii & spiritus sancti Amen. Ego CRISTIARNUS presbiter canonicus lundensis mente & corpore sanguis volens a deo de bonis mihi collatis. licet non digne tamen deuote deo & humiliter famulari Nichil enim habet homo vnde digne suo possit responderem creatori Ad anniuersarium meum singulis annis tenendum. do lego & seoto capitulo lundensis ecclesie curiam meam quam habeo lundis in parochia beati pauli iuxta cimiterium. ita quod fructus siue pensiones de eadem curia prouenientes. annis singulis taliter diuidantur primo videlicet deducatur dimidia marca ad offerendum in die anniuersarii mei Canonicis residentibus & non residentibus. qui vigiliis & misse interfuerint detur dimidia marca denar. item, ad pitanciam canonicorum dimidia marca denar. item vicariis qui similiter misse & vigiliis interfuerint. due ore denar. Pauperibus scolaribus chorum frequentantibus II ore denar. item fratribus predicatoribus. II ore denar. ffratribus minoribus dimidia marca denar. item ad diuidendum inter pauperes publice mendicantes. dimidia marca denar. erogetur. totum vero residuum quod de redditibus dicte curie poterit prouenire. cedat fabricie ecclesie beati laurencij & mense canonicorum inter se equaliter diuidendum ita tamen quod procuratores bonorum dicte mense canonicorum sub quorum ordinacione volo dictam curiam post dies meos in perpetuum permanere debent reparacioni dicte curie prouidere. Concedo eciam & volo si capitulum lundense viderit & prospiciat expedire. de consensu domini archiepiscopi. predicta curia vendatur & pro aliis bonis commutetur vnde